

Iera orirentur, Deus causa esset humanorum uiciorum ac furorum, Hæc ratiocinatio plausibilis uideri possit Ethnico, Nobis in Ecclesia doctorem augere debet, quod hæc præstans natura, nequaquam uolente Deo, in has tantas ærumnas se ipsa proiecerit, Si hominum natura mansisset integra, fulsisset in nobis lux diuina, gubernatrix omnium motuum, & Stellæ in materia non contaminata alias actiones habuissent: At nunc in his sordibus infœliciores sunt actiones, & extincta est illa lux quæ rexisset omnes humanos motus, Hæc deploranda sunt in Basilij ratiocinatione, non deijcienda de cœlo sidera, & cogitandum quantum decus humana natura amiserit, quàm triste malum sit peccatum, propter quod hæc nostra temperamenta nunc belluinis similia iunt.

Ad hanc autem responsionem, deinde hæc addenda est. Ne nunc quidem stellas scelerum causas esse, Quia, etsi inclinationes ab eis oriuntur: tamen hæ non sunt integræ actionum causæ. Sed uoluntas præcipua causa est actionum, quæ quidem & potest, & debet frenare inclinationes. Non enim fatalem necessitatem constituimus, nec cogitaueronem à stellis ad tanta scelera dicimus. Sed accersiuit ipse sibi hos furores uolens, & indulgentem cupiditatibus, magis magisque incitauit Diabolus, Ac multo fit deterior Nero, quàm qualem natura quamuis infæusta finxerat.

Nunc responsionem ad Basilij argumentum, uides non leuè commonefactionem esse de nostris miserijs, & ueris earum causis.

At obiiciunt: Paucissimas esse demonstrationes de effectiõibus siderum, Socrates de uiuersa humana sapientia inquit, homines aut pauca, aut nihil scire, quorum alterum falsum est, Vult enim Deus aliquam in hominum mentibus lucem esse reliquam, notitias numerorum, figurarum, legum naturæ, phisicas multas. Etsi autem magna est infirmitas humanæ mentis, & facilis hallucinatio, & multa errata: tamen illæ notitiæ quæ diuinitus monstratæ sunt, non sunt abiiciendæ. Et aliarum paucarum notitiarum cum rectè euoluuntur, magna est amplitudo, ut in singulis artibus prudentes artifices magna cum admiratione diuinæ sapientiæ animaduertunt, Ita fateor de effectiõibus stellarum paucas esse demonstrationes, Sed tamen ex his ipsis, si euoluantur, si dextrè & prudenter ad uitam accommodentur, ualde multa iudicari possunt. At sæpè fallimur, sæpius etiam quàm in cæteris artibus. Fateor hoc quoque Nec tamen ars nulla est, Quid est enim familiarius homini, quàm hallucinari ac errare? Sed manent tamen aliquæ ueræ notitiæ, quas alij magis, alij minus dextrè ad ea de quibus iudicant, accommodant. Et de futuris rebus etiam pauca prospicere, & utile & magnum est. Nec prorsus de nihilo dictum.